

DISPUTATIO ACADEMICA
DE
DIFFERENTIA
ERRORVM
ET
VITIORVM
HAERESEOS PRACTICAE FAV-
TORIBVS OPPOSITA

QVAM
PRAESIDE

M. IOANNE DAVIDE

DEZSCH

QVEDLINBURGENSI
AMPLISSIMAE FACVLT. PHILOS.
ADSESSORE

IN

AVDITORIO MAIORI

DIE V. SEPTEMB. A. MDCCXXV.

PVBLCICE AD VENTILANDVM OFFERT

RESPONDENS

IOANNES CHRISTOPHORVS

BEYERSTEDE

QVEDLINBURGENSIS
PHILOS. ET S. S. THEOL. CVLTOR

VITEMBERGAE, LITERIS IO. ANDR. ROEBERI.

DISPUTATIO
DE
DIFFERENTIA
ERRORVM
ET
VITIORVM
INTER
HÆRESOS PRACTICAS
ET
TORTVS OPPOSITAS

AVCTORE
M. JOHANNES DAVID
P. B. S. S. S.
P. B. S. S. S.
P. B. S. S. S.
P. B. S. S. S.
P. B. S. S. S.
P. B. S. S. S.
IOANNES CHRISTOPHORVS



§. I.



Ultum damni, atque incommodi proficisci ex eo, si quis rem quandam suo nativo non collocet loco, nec suum unicuique tribuat, id alibi jam nos observasse recordamur; hac enim ratione rem illam, circa quam versatur, homo rite contemplari, ejusdemque genuinam naturam ac indolem perspicere nequit. Hujus vero rei

haud compos qui fit, nec cum fructu ea, quæ emendanda sunt, indicare valet, atque supplere; ignorat enim excessus, atque defectus ejusmodi rei initium, de excessus, atque defectus causis, quas non poterit non spurias fingere, atque falsas, nihil ut dicamus. Quam rationem rem quandam considerandi perverfam esse, ac multis expositam incommodis, exemplo quodam in præfens illustrare luculenter, atque comprobata dare animum induximus. Eligemus hujus ergo confusam illam, eamque noxiam admodum *errorum & vitiorum* confusionem, atque commixtionem, quæ

A 2

quanta

quanta creet damna & excitet, fabula illa *haereseos*, quam nonnulli fingunt, *practicae*, comprobatum sistemus, atque confirmatum. Eam dabimus operam, omnia distincte ut exhibeamus, atque luculenter, in quonam *errorum & vitiorum differentia* sita sit & locata, indicemus. Dissidentium argumenta quod attinet, sine partium studio eadem evolvemus, ac modeste, quantum partim virium nostrarum imbecillitas, partim instituti ipsius ratio permittet, confutabimus. Cui labori ut supremum ac praepotens Numen benedicere velit clementissime, supplices rogamus.

§. 2.

Quaenam partim de *erroribus*, partim de *vitio* animo nostro sedeat sententia, antea indicandum est, quam progrediamur ulterius. *Error* nobis dicitur iudicium, praeter fundamentum, cur rei alicui aliquid conveniat, aut non conveniat, enunciatum; quando enim de re quadam aliquid adfirmamus, quod haud erat adfirmandum, atque negamus, quod non erat negandum, oritur error. Quippe illud extra controversiam positum esse existimamus, errorem non dari in ipsis rebus, sed demum exoriri, quando res non ita concipitur, uti de jure fieri debebat. Nolumus equidem hoc loco operose inquirere, num error ad secundam, an ad primam mentis operationem (*) referendus sit; quodsi tamen aliquid pronuntiandum foret, nostro iudicio *error* ad secundam potius, quam primam mentis operationem reducendus erit, quod in doctrina de ideis luculenter exponi

(*) Tres plerumque statui mentis vel intellectus operationes, pervulgatum est, nempe (1) idearum receptio, vel uti alii loqui amant, simplicium adprehensio, item notio (2) idearum compositio, vel enunciationes, seu

exponi adsolet. Objicitur quidem errorem non dari, nisi darentur ideae erroneae; verum ut taceamus, exinde nihil aliud concludi posse, quam quod ejusmodi ideae instar occasionis errores admittendi existant; urgemus saltem, quod ex genuinarum idearum compositione actu error proficiscatur. Ita si quis adaequatam ideam magistratus alicujus inferioris sibi concepisset rite, nec non honoris, summo magistratui habendus qui est, ideam adcurate sibi formasset, hasque adcuratas admodum ideas invicem componeret, falleretur atque erraret.

§. 3.

Illud praetereundum haud est, ex haecenus dictis haud obscure patescere, errorem ad illam animae facultatem, intellectus quae dicitur, referendum esse; intellectum enim circa rem quandam contemplandam, atque cognoscendam versari, sibi quae de eadem ideas formare, quas deinde componit vel adfirmando vel negando, quo ejusmodi idearum nexus beneficio plures elicere valeat veritates, notum satis est, atque pervulgatum, uti alibi idem ostenditur. Novimus equidem Cartesianos in diversum h. l. abire, cum voluntati adfirmationem atque negationem adscribere adsoleant, quae sententia, si intellectus atque voluntatis vocabula eodem, quo a nobis & aliis capiuntur, sensu sumerentur, oppido erronea

A 3

foret,

seu propositiones, item iudicium (3) denique syllogismus, vel discursus; emendarunt equidem recentiorum nonnulli huncce operationum mentis numerum, fuerunt vero & alii ex recentioribus celeb. eundem qui retinuerunt & commendarunt. v. g. Cel. WOLFIUS; qui in animadversionibus ad cogitationes racionales Von Gott der Welt etc. §. 97. scribit: Es sind nicht mehr als diese drei Arten der Wirkung des Verstandes, Notio iudicium, & discursus; cui sententiae & nos subscribimus.

foret, ac longe periculosissima, si enim ab hominis voluntate penderet, rem quandam vel veram vel falsam pronuntiare, proh immortalem Deum quanta sententiarum monstra pro veritatibus venditarentur! verum cum Cartesiani aliam, quam nos, circa intellectum foveant sententiam, aliter pronuntiandum erit, ita tamen res ipsa haud ut comprobetur. Quam controversiam huc ulterius examinare chartarum angustia & institui ratio prohibet; id tamen verissimum existere, juxta Cartesianorum quoque mentem vitia atque errores invicem discernendos esse, ex inferius dicendis adparebit.

§. 4.

Vitium nobis vocatur, quando homo rem malam appetit, atque eligit; bonam contra averfatur, ac rejicit. Quomodo illud nunc fiat, dispiciendum est. Homo nempe adfectuum aestu abreptus ac praedudiciorum multitudine laborans rem quandam malam si consideret, quaedam in eadem sibi fingit grata atque utilia, quae eundem instigant ad ejusmodi rem adpetendam suamque faciendam; e contrario rem bonam si contempletur, quaedam sibi viderur deprehendisse ingrata, atque noxia, quae ipsi suadent rem illam negligere, atque fugere. Illud enim probe observandum esse existimamus, neminem aliquid adpetere, vel averfari posse, nisi sub aliquo boni cujusdam vel mali praetextu; praepotens enim Numen unicuique hominum stimulum quendam indidit a natura, quo homines ad suam promovendam felicitatem ducerentur; cujus stimuli existentiam nemo in dubium vocabit, qui partim ad se ipsum attendet sollicitate, partim experientiam consulat. Qui stimulus, licet per primorum hominum lapsum mirum in modum corruptus fuerit, unde peccatum, quod dicitur

Ori-

Originale (cujus existentiam Naturae quidem Lumen novit, adaequatam tamen ejusdem formam, atque essentiam ignorat) & adhuc maleferiati homines eundem obfuscent, penitus tamen supprimitur nequit.

§. 5.

Quae haecenus dicta, hominem nempe nihil adpetere, vel averfari posse, nisi sub aliquo vel boni vel mali cujusdam praetextu, si observasset Cel. Lipsiensium Philosophus ANDREAS RIDIGERUS in sententiam non paradoxam solum, sed etiam vehementer erroneam incidisset. Sibi enim atque aliis persuadet, ex eo, quod homo rem quandam, quam novit esse fugiendam, adpetat, & rem, de cujus bonitate eidem constat, averfetur, probari satis posse, intellectum atque voluntatem diversas substantias, & peculiare hominis partes essentiales existere, quoniam nihil sibi ipsi contrariari possit. v. dissert. prooemialis, sensui veri & falsi praemissa §. 16. &c. Quam sententiam cum aliis adhuc conjunxit, v. g. tres hominis partes existere (1) mentem, cui sedem adsignat in capite, & cum intellectu coincidere docet (2) animam, quam collocat in corde, & voluntatis nomine compellendam esse existimat (3) corpus; confirmare quoque hanc sententiam ex 1. Theff. V, 23. & B. LUTHERI verbis allaborat, verum utrumque solide vindicavit in Diff. ad 1. Theff. V, 23. Magnificus atque Celeberrimus Lipsiensium Theologus, HENRICUS KLAUSINGIUS, Patronus, atque praceptor Noster venerandus; quae omnia ob instituti rationem praetermittimus; illius tamen rationis, qua adferit, voluntatem intellectui adversari, infirmitatem paucis ostendemus. Vapulat nempe RIDIGERUS, dum in ea versatur opinione, hominem quaedam adpetere posse, atque averfari, omni desti-

destitutum ratione, late sic dicta, vel sine ullo praetextu, (hanc enim doctissimi Viri sententiam esse, ex eo adparet, cum casum quendam exstare posse largiatur, quo aliquis rem quandam adpetere queat, quam intellectus penitus negligendam esse docet, atque ex eo veram contradictionem eruere cupit) illud enim supra confutavimus, & contrarium probatum dedimus solide, cui nunc omnium exemplorum inductionem subjungimus, quod unico exemplo, a RIDIGERO ipso excitato, reliquis ob insituti rationem missis, exhibebimus clarissimum. Provocat ad hominem, qui puellam, pravis quae est moribus, & humili ortu vel etiam ignominioso nata, adamat, licet ejusdem intellectus contrarium dicitare videatur. Verum inquirendum adhuc est, num ejusmodi homo vere credat, partim humilem, partim etiam ignominiosum ortum actu damnum adferre, porro perpendendum est, num ne ejusmodi homo forte sibi persuadeat quod scortatio licita sit, quodue commodiori destituatur occasione; Ita ut existimet, minus illud incommodum prae majori eligendum esse. Quae omnia licet longe sint falsissima, ostendunt tamen, hominem illum aliquo praetextu, boni cujusdam adparentis non destitui; porro quoque hoc loco sollicite observandum est, quod, quando homo tam perfrictae frontis, & supremae malitiae sit, ut sine omni ratione, qualicunque etiam, vel sine ullo praetextu aliquid adperat, illud luculenter testetur de intime corrupta natura humana; unum vero alterumve exemplum, idemque extraordinarium, regulam constituere nequit, vel sufficiens & solidum fundamentum suppeditare non valet sententiam quandam peculiarem fabricandi. Reliqua, commode huc quae dici poterant, in praesens missa facimus.

§. 6.

Ne vero aliquis existimet, ex nostra sententia relinqui, peccata, nostratibus theologis contra conscientiam seu voluntaria quae dicuntur, in dubium vocanda esse, observandum erit, ideo peccata profecto non dici voluntaria, quoniam voluntas sine omni ratione vel ullo praetextu rem malam adpetit, & bonam averfatur; sed illud peccatum jam meretur dici contra conscientiam, seu voluntarium, quando quis rem, quam novit esse malam eligit, leviori quadam ratione, latius sic dicta, inductus, vel ob levidensem quendam praetextum boni alicujus, quia scire non solum melius poterat, idque facillimo negotio, sed etiam quia idem recusat, idque iterum sub praetextu boni cujusdam adparentis operam dare, quo melius idem sciat. Ita v. g. quando quis proponit sibi altera die aliquem occidere, idque actu suscipit, sine dubio voluntarie & contra conscientiam peccat; verum ideo statim negandum haud est, eum nulla ratione, late sic dicta, inductum fuisse ad facinus illi horrendum perpetrandum. Forte enim in illa erronea versatur opinione, homicidium, justa si adsit vindicationis causa, ni licitum, excusandum tamen existere, forte quoque existimat, peccatum illud, quod hac ratione committit, levius esse peccato illo, in quod facile incidere posset, desperationis, & reliquis exinde propullulantibus, & redundantibus. Quae omnia licet longe sint erronea, quendam tamen praetextum suppeditare videntur. Ex quo adparet, voluntatem intellectui, adcurate loquendo, non adversari, in intellectu enim aliquid erroris continetur, quo voluntas sese niti posse videtur; vel voluntas intellectus oculos quasi excoecat, ita ut rem bonam, non ut bonam sibi concipiat, & rem malam, ut malam non sibi repraesentet. Haec vero

B

senten-

sententia ita extendenda haud est, ut quis cum illust. THOMASIO erronee adserere vellet, voluntatem in intellectum imperium habere, atque omne intellectus iudicium a voluntate dependere; quae falsa sententia alibi discutitur.

§. 7.

Ex haecenus disputatis nunc patebit clarissime, vitium ad voluntatem referendum esse; voluntas enim est animi inclinatio in rem quandam bonam, & aversio rei cujusdam malae. Sumimus vero h. l. vocabulum voluntatis sensu strictiori, ita ut ejus synonymum sit adpetitus rationalis, atque voluntati, sensu latiori, (quo ad eandem refertur quoque adpetitus sensitivus,) sumrae, contradistinguat. Juxta nostram igitur mentem brutis atque bestiis voluntatem denegandam esse facile adparet, quoniam inter adpetitum sensitivum & rationalem distinximus. Quam strictiorem voluntatis significationem alteri praefereendam, ac veterum philosophis adamatam esse, doctissime observat Cel. WOLFIUS, simulque graviter atro notat lapillo illorum ineptissimos mores, qui omnia, quae veterum dicta sapiunt, ideo rejecta, & risui exposita cupiunt, hacque ratione veterum sapienter dicta intempestive innovare absone admodum suscipiunt. v. ejusdem *Anmerkungen über die vernünftigen Gedanken von Gott/ der Welt* &c. §. 155. Ex nostra quoque definitione adparet, nos sub voluntatis vocabulo & voluntatem comprehendisse; quae duo Cel. WOLFIUS l. c. §. 156. & in ipsis cogitationibus rationalibus §. 493. ab invicem distinguit. Primum observat omissionem voluntatis, & non velle, daß wollen unterlassen/ und nicht wollen differre, illudue indifferens vocat, hoc vero plus involuere existimat. Ipsam distinctionem nos quidem admittimus lubentissime, prius vero indifferens cum adpeller, illud non adeo responde

dere

dere principio sufficientis rationis, zureichenden Grunde/ toties, idque rectissime, a Cel. viro deprædicato, & in primis §. 498. l. c. existimamus. Deinde eam ob rationem voluntatem a noluntate distinguendam esse docet, quoniam illa peculiarem requirit explicationem; nos vero persuasi sumus, licet aliquis veterum vestigia legat & utrumque jungat, eum nihilominus tamen idem commode satis præstare posse.

§. 8.

Cum vitia unice ad voluntatem referenda esse, diximus, non adversantur nobis omnes illi, qui intellectui vitia adscribunt, quod a præstantissimis viris fieri adsolet, ita enim Magnificus AEPINUS intellectui vitia adscribit pr. IV. introd. in philos. p. 164. & Cel. BUDDEUS secundum logices suae caput inscribit: de intellectus humani vitiis & imbecillitatibus, alios ut taceamus. Ratio est in promptu, alio prorsus sensu vocabulum vitii capiunt, quam a nobis illud accipitur. Illis enim vitium vocatur mera boni cujusdam absentia, quare illis synonyma sunt vitium, defectus, imbecillitas; nobis vero dicitur vitium averfatio rei bonae, & electio rei malae. Licet nunc equidem vocabula rei ipsius essentiam haud immutent, atque alterent, quoniam tamen & ejusmodi æquivocationes facile errandi ansam suppeditare soleant, nostro judicio præstat, & in ejusmodi adcuratius versari. Illos vero qui vitium eo, quo nos idem sumimus, sensu, capiunt, & tamen loco erroris adhibent, insigniter vapulare, clarissimum judicamus. Dum in eo sumus, ut errorum atque vitiorum differentiam adseramus, non illa nostro sedet animo sententia, ac si nullus, vel exiguus saltem inter intellectum atque voluntatem derur nexus; persuasissimi enim potius sumus, quod errores vitia nullo non tempore

habeant comites. Quam sententiam non experientia solum, sed etiam animae simplicitas comprobatur; anima enim accurate loquendo unica saltem constat facultate, seu vi quadam, quae varias sub se complectitur potentias, unde etiam haec duo, vim nempe atque potentiam, *Kraft/ und Vermögen* distinguenda esse graviter inculcat Cel. WOLFIUS, & sollicitè quoque observat, quia in re plurimos habet contentientes. Verum licet haec omnia longe sint verissima, adprime tamen salutare erit atque proficuum, nosse, quomodo error à vitio differat, quidue utrique tribuendum sit, quo utrique eo succurrere possimus facilius, atque medelam adferre.

§. 9.

Quodsi igitur altiore mentis contentione errores atque vitia contemplerur, deprehendimus, eosdem invicem differre (1) subjecto Quo, uti philosophi loqui amant. Erroris subjectum est intellectus, vitii subjectum est voluntas. Quae observatio licet primo intuitu levior, & non adeo magni momenti videri posset, multifariam tamen, & nunquam satis depraedicandam utilitatem suis creat possessoribus, atque conciliat. Ita ludimoderatores falluntur vehementer, quando in discipulum invehuntur eidemque ignaviam exprobrant, cum tamen, adcuratius rem si introspicias, intellectus imbecillitatis ratio potissimum habenda esset. Rite igitur ejusmodi vir suo si fungi cupiat officio, inquirere debet, num intellectus, an voluntas deficiat? alias non solum nihil cum fructu efficiet, sed etiam ejusmodi juvenem ita timidum reddet, de virium suarum sufficientia penitus ut desperet, licet aliquando reipublicae multum commodi, atque utilitatis conciliare potuisset. Eundem in modum quando verbi divini mini-

minister viris acutissimis, iudicioque pollentibus excellen-
tissimo, iisdemque Atheis atque Empaectis, S. Numinis
existentiam amplectendam, & S. S. mysteria salvificae nostrae
religionis credenda persuadere cupit, parum ille conse-
quetur, ejusmodi virorum voluntatem unice flectere omnem
si moveat lapidem, ridebunt enim, & oratori sacro petiti-
onem principii exprobrabunt. Ratio e longinquo arcessenda
non est, sibi enim atque aliis persuadebunt illi homines, in-
tellectum veritatum illarum nondum convictum esse, simul-
que urgebunt, nihil sine principio sufficientis rationis ad-
mitti posse. Illa igitur danda est opera, quo ejusmodi occa-
sione hominum illorum intellectum, quantum fieri possit,
potest vero illud sole meridiano clarius fieri, veritatum illa-
rum convincas, idque juxta media atque subsidia, quae ge-
nuina oratoriae natura atque indoles suppeditat. Quae ob-
servatio, brevissima admodum, nisi quoque a reliquis eruditis
in maximo habeatur pretio, in dijudicando, detegendo, atque
media sufficientissima inveniendō aqua haerebit Medicis,
Jctis, atque Politicis.

§. 10.

(2) Differunt causas. Errorem gignit ignorantia; vitium
vero ex malitia, tanquam fonte suo, profluit. Quando enim
fundamentum, cur rei alicui aliquid competat, vel non
competat, probe haud perspeximus, ejusdemque cum re-
liquis rebus nexum non cognovimus, ita ut rei illius natu-
ram atque indolem ignoremus, & nihilominus tamen judica-
mus, a vero aberrat nostrum iudicium. Ex malitia dum dici-
mus vitia profluere, sumimus vocabulum malitiae non pro vi-
tio ipso, sed pro prava illa inclinatione, qua quis in rem malam
fertur, & a re bona recedit, ex qua inclinatione dein, tanquam

ex inpurissimo fonte, foedissima vitia propullulant, quid? quod erumpunt. Solent equidem haec duo, malitia nempe, atque vitium, tanquam synonyma adhiberi, nobis vero adcuratius videtur ea ab invicem distinguere, quo vitiorum naturam paulo penitius introspicere possimus. Verum non ea nostro sedet animo sententia, errores a vitiis plane esse remotos; agnoscimus enim ipsi, uti supra indicavimus, vitia errores haud raro sequi, & unum cum altero conjunctum esse, sed id saltem ostendere animus est, vitia atque errores temere haud esse confundendos, quod solida ignorantiae atque malitiae consideratio unumquemque docebit satis superque. Ne vero aliquis existimet, nos, dum malitiam dicimus vitiorum causam, contradicere iis, quae superius disseruimus, neminem scilicet aliquid adpetere vel aversari posse, nisi aliqua inductum ratione, seu aliquo sub praetextu; distinguimus in praesens inter causam remotam, atque proximam; utraque enim largimur manu, hominem errore aliquo antea infectum esse, quam ipsa vitia exerceat, vel rem malam adpetat, & bonam aversetur; verum tum error ille non ut causa proxima vitii, sed tanquam remota causa considerandus est. Pertinet huc quaestio, qua quaeritur, num voluntas nunquam non oporteat sequi intellectum; quam quaestionem nonnulli v. g. Cel. SYRBIUS in nexu doctrinae philosoph. p. 66. &c. negat: zum wenigstens / inquiring, kan außer den Willen nichts angezeigt werden / das den Verstand zu Irthümer verleiten wolte / oder könnte. Denn wenn die Welt / oder Teuffel die Menschen betrügen / so fangen sie den Betrug in Willen / und nicht in Verstande an. Welches diejenigen nicht wohl bedencken / welche vorgeben / daß der Wille sich allezeit / und zwar nothwendig / nach den Verstande richten müste. Verum hacte-

hactenus a nobis dicta sole meridiano clarius aliud docent, hominem, nunquam alicujus rei cupiditate duci, nisi aliquid adsit, quod cupiditatem illam ad minimum suadere videatur. Notavimus igitur jam jam Illust. THOMASIIUM, omne intellectus judicium a voluntate dependere, adferentem. Quam quaestionem ulterius examinare, atque discutere instituti ratio haud permittit.

§. II.

(3) Differunt vitia atque errores intuitu formalis rationis, vel differentiae specificae. Error enim est judicium praeter fundamentum enunciatum; vitium vero involvit adpetitum in rem quandam malam, & averfationem rei bonae, idque sub praetextu, vel boni, vel mali cujusdam. Quae omnia supra explicuimus dilucide. Hanc vero observationem longe utilissimam esse, duobus demonstratum dabimus exemplis. Quodsi quis superstitionis ethnicae hominem ad salvificum nostrum coetum adducere cupit, unice urgendo eum esse hominem impium, atque aeternis dignissimum barathris, aethiopem propemodum lavabit, licet enim graviter inculcet, praepotens Numen vitae ortum, progressum, & conservationem eidem concessisse clementissime; licet venerationis erga ejusmodi Numen benignissimum necessitatem extollat vehementer, & quae hujus generis sunt plurima, oleum tamen atque operam ferme perdet omnem, quoniam ille perversissimae mentis homo omnia illa utraque manu facili largietur opere, seque idem jam fecisse, & adhuc amplius facturum fore jactabit. Alia igitur eligenda via est. Ostendendum ejusmodi homini, quod aliquid, quod non est aeternum, omnipotens, omniscium, vel quod non est verus Deus, sub praetextu veri Numinis ado-

adoraverit, vividis quoque coloribus eidem ante oculos ponenda est summa eaque periculosissima ignorantiae magnitudo, quo sentiscat, se spurias & quam maxime erroneas ideas de praepotente terrarum Numine, ejusdemque gratiosa, hominum salutem promovendi, voluntate, sibi concepisse. Quod si econtrario aliquis genuina salvificae religionis capita, e. S. literarum pandectis eruta, orthodoxe tenentem, & pessime tamen viventem ad veram, & genuinam poenitentiam perducere cupit, non multum efficiet, si ejusdem intellectum qui jam jam rite ac orthodoxe instructus est, ita ut ipse alios iterum orthodoxe docere possit, operose admodum idque praecipue convincere studet; rectius faciet, si veritates coelestes in memoriam brevissimis revocando, graviter delineat praetextus illius boni putativi, (quod sibi in omissione boni, ac executione mali invenisse visus est,) infirmitatem, atque levitatem, quo ejusdem status longe infelicissimi summam miseriam, atque inevitabile exinde redundans damnum sole meridiano clarius exhibeat, simulque status oppositi nunquam satis depraedicandam voluptatem, atque commoda, quae largitur, sempiterna, & nunquam intermorratura commendet vehementer. Quae omnia modo vere oratorio proponenda existunt, uti illud observavimus in dissertatione de genuina oratoriae natura & indole.

S. 12.

(4) Differunt in eo, quod unum sine altero, suo tamen modo, interdum existere soleat; quæ limitatio summe necessaria est. Nemo enim hominum, multo minus ille, erroribus obrutus qui existit, ab omnibus omnino vitiis liber est; verum illud hoc loco saltem intendimus, vitia ex hoc vel illo errore alias profluentia, non semper cum ejusmodi

er-

errore conjuncta esse, sed nonnunquam ejusmodi errores separatim existere. Exemplis res fiet clarior. Ita si quis tanquam pro aris & focis defenderet: scortationem esse licitam, & tamen eandem non exerceret, (ne videretur ideo illam sententiam fecisse suam, quo libidinem expleret, sed quo potius illibatae veritatis defensionem prae se ferret) tunc existeret error sine vitio, quod alias ordinarie ex ejusmodi errore promanare adsolet. Eadem ratione comparatum est, si quis S. Numinis existentiam negat, & tranquille tamen vivit non laedendo proximum, & alias exercendo virtutes. Quando nunc quaeritur, num vitium etiam sine errore, ex quo alias profluit, existere possit? simpliciter non erit respondendum, quia, uti supra docuimus, homo in nullum vitium ruere potest, nisi inductus aliqua ratione, licet eadem sit longe infirmissima, quia tamen experientia docet, errores subobscurius latere, licet vitia, ex iisdem orta, latius serpent, & manifesto regnent; patet exinde, quod vitia sine erroribus, ex quibus promanant, suo existere modo possint. Ita numero plurimi sunt, qui praepotens Numen anxie venerari videntur, & quotidie tamen varia malitiae signa edunt. Qui homines licet S. Numinis existentiam non negent, nec inficientur, ejusdem mandatis obedientiam esse praestandam, sibi tamen atque aliis persuadent, hanc vel illam actionem, alias malitiae plenissimam, haud ita esse comparatam, ut Dei mandatum laedat; vel saltem concedunt illud in abstracto, in applicatione vero ad suas actiones turpiter hallucinantur. Quo exemplo, ni fallimur, satis adparebit, quo loco nostra adfertio habenda.

§. 13.

Explicata satis nunc, atque illustrata errorum & vitiorum differentia, exemplo quodam, uti promissimus, ostenden-

C

den-

deperit erit, quantum incommodi pariat, eadem si non ob-
 erretur. Producamus igitur fabulam illam haereseos, quam
 nonnulli fingunt, practicae, inquirendo paululum, quid
 novum hocce inventum velit? latissimus quidem campus
 dicendi hic sese aperiret, in auctorum ac patronorum hujus
 sententiae mentem inquirere animus si foret; verum ne
 falcem in alienam messem immisisse videamur, de industria
 ejusmodi operosam inquisitionem mittimus, alio tempore,
 si Deus concesserit, negotium illud fusius suscepturi. Sunt
 vero hujus sententiae patroni non postremi M. IO. MAR-
 TINUS SIGWARTUS, atque D. CHRISTO. MATH.
 PFAFFIUS; de reliquis v. g. Illust. CHRISTIANO
 THOMASIO nihil ut commemoremus. Ille spissam qui-
 dem disputationem sub praesidio D. IO. HENR. MAJI
 exhibuit de haeresi, quae dicitur, practica; verum nihil
 aliud agit, quam quod, praemisissis quibusdam ad rem praesen-
 tem non adeo spectantibus, nec non adlatis confusis iisdem-
 que simul inadaequatis haereseos theoreticae, atque practicae
 definitionibus, per XII. locos theologicos pervolet, osten-
 dendo; quinam errores practici, ut loquitur, occurrant in
 iisdem. Verum quam confusa & inadaequata sint, & a
 veritate aberrantia, subinde quae adferuntur, facile foret
 ostensu; ipsam vero rem quod concernit, h. l. errores atque
 vitia invicem commixta esse, levior saltem inspectio idem
 condoceret abunde.

§. 14.

PFAFFIUM quod attinet, collocat ille in diff. de arti-
 culis fidei fundamentalibus obs. V. hanc thesin: eo magis
 aliquid fundamentale, cognituque necessarium est, quo
 major ejus ad pietatem, in animo gignendam, hominisque
 conversionem efficiendam est necessitas. Ex qua positione
 plu-

plurima deducit consecraria: articulos practicos maxime fundamentales esse; Q. pure theoreticum, nulliusque ad pietatem usus est, fundamentale & necessarium esse non posse; majorem haeticorum numerum esse, quam vulgo apud nos existimatur; haeresin practicam theoretica longe perniciosiorem esse; reliqua ut taceamus. Quae maximi momenti consecraria deducta sunt ex positione, sine omni probatione posita, nisi probationis vicem sustinere existimes, quod fides Tit. I. i. dicatur *ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσεβείαν*. Verum injuriam facit Apostolo & a scopo aberrat insigniter, si existimet, suam hoc in loco fundatam esse sententiam una cum consecrariis exinde deductis, uti dudum illud nostrates Theologi solide observarunt, quorum explicationem dicti in praesens, instituti rationem habentes, mittimus, ne falcem alienam in messem immisisse videamur. Non igitur decebat D. PFAFFIUM pro more suo ex loco non enucleato & explicato capitales, easque fundamentales, veritates deducere; jure enim nostro id ab eodem postulare possumus, ut veritates haud adeo cognitae vulgoque, ut loquitur, ignotas circumspecte & cum cura protrudat, nec omnia in unum jaciaturque fundat. Diruto vero fundamento Pfaffiano, ipsa quoque thesis, illo superstructa, corruet, quod paucis adhuc demonstrabimus. Duas haec in thesi latentes propositiones: (1) ad pietatem quaedam sunt necessaria, (2) haec fundamentum fidei constituunt; qui paulo adcuratius contemplatur, illarumve relationem adcuratius animi lance considerat, apprehendet, illum easdem qui conjungit, illas invicem commiscere. Pietas enim nihil aliud est, quam virtutum christianarum, vel B. O. complexus, illius enim habitu ornatus qui est, dicitur pius; fundamentum fidei vero est omne id, quod instar causae ac principii fidei se habet; hac igitur ratione

non possunt non B. O. ad ipsum referri fidei fundamentum, & quidem constitutive de hoc enim est sermo. Quae sententia dudum a piis nostris confessoribus damnata est atque rejecta: diligenter enim, inquit in solida declaratione, in hoc negotio cavendum est, ne B. O. articulo justificationis, & salutis nostrae immisceantur. It. in epitome, art. IV. credimus, docemus, & confitemur, quod B. O. penitus excludenda sint non tantum cum de justificatione fidei agitur, sed etiam cum de salute nostra aeterna disputatur &c. & deinde, interjectis aliis subjiciunt: damnamus phrasas v.g. B. O. necessaria esse ad salutem. Speramus quoque, ut ipse PFAFFIUS hunc errorem gravissimum detestetur existimantes, hoc loco ex confusa, ipsi recepta, proponendi ratione ea verba eidem excidisse. Verum forsitan peculiare aliquid prae nostratibus adferre haud potuisset, nisi ea, quae ab invicem distincta hactenus fuerunt, in unum jaceret, atque funderet, & quae erant jungenda, separaret. Adparet hoc inter alia ex consuetario primo & secundo, in quibus quae erant jungenda separat distinguendo inter haereses theoreticas atque practicas, cum tamen nihil in nostra S. S. Theologia detur, quod non sit practicum, (de qua re deinde pluribus,) ita ut haeresis theoretica in contradistinctione practicae sit non ens. Ostendendum porro ipsi prius est, nudum theoreticum in theologia dari, de quo, quod mirum dictu, temere adserit, nullius ad pietatem usus esse; reliqua duo, a nobis antea excitata, consuetaria, vitia atque errores invicem commiscere in propatulo esse judicamus, id quod hactenus dicta abunde docebunt.

§. 15.

Misis reliquis, commode hic quae dici poterant, ad rem ipsam propius adcedimus evoluendo ante omnia, quid sibi ve-

velit terminus theoreticus, atque practicus. Theoreticum dicitur, quod rerum, in se consideratarum, naturam exponit, abstrahendo interim ab illarum adplicatione; practicum econtrario vocatur, quod res antea cognitae, tanquam media ad fines propositos consequendos, adhibet. Ex quo patet, theoreticum non sic adpellari, ac si nullius in vita usus sit, nec influat in praxin, sed hac ex ratione tantum a practico distingui, ut rerum, in usum convertendarum, naturam eo adcuratius perspiciamus, quo majori cum fructu illarum suscipere possimus adplicationem. Liquet quoque ex hactenus dictis: omnes practicas veritates praesupponere theoreticas; illae enim tradunt finium, atque mediolorum doctrinam, finis vero antea cognitus esse debet, quam adpeti potest; media quoque, quibus consequi aliquem finem nos oportet, non ignota esse debere per se patet; quomodo enim quis medio, ipsi ignoto, aliquid consequi posset? nisi id, quod forte fortuito accidit, tanquam rem ordinariam, atque ex ipsius actionis natura fluentem considerare erronee velis. Porrigamus v. g. puero, vel etiam rustico cuidam stupido antliam pneumaticam, in usum suum convertendam, & videbimus, eos nihil finium illorum, quorum gratia inventa, & hactenus adhibita fuit, consequuturos fore. Faciamus adplicationem, & deprehendemus, rem esse clarissimam. Licet namque pietas, (quae nonnullis novaturientibus cum fide unum idemque esse solet) existeret medium, quo vitam consequi possemus aeternam; finis tamen consequendus, nempe absolute ultimus, Deus, ejusque fruitio, foret cognoscendus, & medium pietas, cognitum esse deberet, in quam consisteret, & quomodo se extenderet, quo rite quis eo uti posset, & sic eo ipso praxis haec theoriam praesupponeret.

§. 16.

Cum hactenus ostendimus, quid sit theoreticum & practicum, observandum nunc erit, practicum non excludere omnem theoriam, eo ipso enim, quod finium ac mediorum, antea cognitorum, doctrinam tradit, patet, quod & homines instruendi sint, quomodo illis mediis uti debeant, ne sibi plura de illis promittant, quam praestare possunt, nec denequent illud iisdem, quod tamen iis acquirere potuerant, & sic vel in defectu peccant; non vero sufficit illud tantum indicare, sed ostendendum quoque est, quantum fieri possit, initium atque finis qui sit excessus atque defectus. Quodsi nostram consideremus S. S. Theologiam, deprehendimus, illam ejusmodi disciplinam existere, quae licet practica sit, nullam tamen disciplinam theoreticam praesupponit, quoniam tota, quanta quanta est, practica est; cognitio enim ejusdem finis, (quantum nempe hoc in terrarum orbe cognosci potest,) atque mediorum ita comparata est, ut inculcetur una cum praxi, vel institutione, quomodo mediis ad finem obtinendum a Deo praescriptis uti ac in nostrum convertere debemus usum, item quomodo ordinem a Deo praescriptum in nostrae salutis negotio observare nos oportet. Unde dudum ii ex scholasticis a nostratibus castigati sunt, qui theologiae habitum theoreticum, vel etiam theoretico-practicum dixerunt; quid? quod ipsam distinctionem, qua distinguitur inter agenda atque credenda, inadaequatam esse, adcuratior consideratio abunde docet, uti idem graviter observat Magnificus, atque longe Celeberrimus Noster GOTTLIEB WERNSDORFIUS, Patronus atque Praeceptor Noster aetatem devenerandus in diff. de auctoritate LL. Symb. p. 454, quae annexa est pereruditae atque nervosae de indifferentismo religionum commentationi; agenda enim eo ipso, quod supernaturaliter revelata sunt, sunt

sunt etiam credenda, & quae in credendorum partem veniunt, etiam sunt suo modo agenda. Nec existimandum est, ac si Theologi illi ex nostratibus, theologiam moralem qui conscripserunt, nobis adversarentur; hi enim theologiam moralem non unice pro practica venditant, illud enim si fieret longe erroneum foret; sed illis saltem placuit, praxin, quam in expositione theologiae jam jam explicarunt ac inculcarunt, peculiari ratione ac luculenter exponere, urgere atque inculcare. Non differt igitur Theologia Moralis a Theologia thetica ut practicum, & theoreticum, sed saltem ut uberior praxeos, jam jam explicatae atque inculcatae, deductio, ac expositio. §. 17.

Ex haecenus dictis facili nunc opera de haeresi, quae dicitur, practica, iudicium ferri poterit; nam si ideo dicitur practica, quoniam objectum, a quo homo deficit errando, practicum existit, concedi illud posset; verum quoniam haec verborum immutatio nullum praestatur usum, prudens quoque homo eandem missam facit. Quod si vero eam ob rationem aliquis haeresin adpelleret practica, quia ejusdem objectum magis est practicum, quam reliqua objecta, a quibus deficiendo homines haeretici evadunt, concedendum & adprobandum idem non erit propter varia, quae exinde profluunt, incommoda, uti ex superius dictis abunde constat. Verum neque posteriori neque priori sensu vocabulum haereseos P. a Gissenfi, & Tubingenfi una cum aliis quibusdam adepti, dicta ab iisdem satis superque ostendunt. Illis enim vitium, quod nempe prae aliis eminent, atque proaereticum seu voluntarium dicitur, & haeresis P. sunt Synonyma. Quam *ἀναρρογίαν* si forte fortuito alicui excideret, condonandum adhuc foret; verum peculiariter de eadem agere, ex instituto eandem commendare, & tanquam veritatem, recens adinventam, multumve utilitatis parientem aliis obtrudere, res est nunquam comprobanda; ea enim, quae D. MAJUS, & D. PFAFFIUS de sua praedicant haeresi practica, illa copiose satis a nostratibus, compendia & Systemata, quae vocant, theologica, qui conscripserunt, explicata sunt in loco de Peccato voluntario seu proaeretico, uti idem doctissime ob-

observat Magnificus atque Celebratissimus Noster WERNSDORFIUS in dissertatione, quae inscribitur: Cautelae circa id, quod in theologia ac religione est practicum. Aph. VII. pag. 46. Quodsi aliquis objiceret, nihil impedire, quo minus aliquis vitium diceret haeresin practicam, nos respondemus, nullam sufficientem rationem hactenus suppeditatam esse, vel etiam suppeditari posse, idem jure cur fieri possit; deinde provocamus ad Gal. V. 19. ubi expressis contradistinguitur verbis scortatio, quae est vitium, haeresi, ergo non unum idemque erunt. Referuntur quidem haereses intra opera carnis, verum illud fit intuitu Peccati O. quod pravis motibus operosum est, ita ut omne illud, ex eodem quod promanat, opus carnis suo dici possit modo, ex quo cum nunc & haereses profiscuntur, haereses merito etiam hujus intuitu inter *λογα της σαρκος* a Paulo referri possunt l. c. Posthaec considerare debemus, haeresin esse errorem & ad intellectum pertinere, vitium vero ad voluntatem referendum esse, cui accedit, quod haeresis fundamentum fidei evertat, (distinguant enim Theologi accuratiores inter haeresin, & Schisma,) virtutes vero, quarum opposita vitia sunt, fundamentum fidei non constituunt; quod copiose, instituti ratio si permitteret, comprobari posset. Ex omnibus patebit clarissime, vehementer admodum errores atque vitia hoc in negotio invicem confundi. Possemus quoque, si opus foret, ad testimonia, tam apud antiquiores, quam recentiores quae occurrunt, provocare. Ita enim jam ante controversias recentiores B. AFFELMANNUS part. I. Syntag. p. 647: non in vita, inquit, proprie loquendo est haeresis; it. B. GERHARDUS de ministr. eccl. p. 238: in moribus, scribit, proprie loquendo non est haeresis, sed in doctrina, & confessionibus discernitur. Ex recentioribus provocamus ad D. WERNSDORFIUM, qui l. c.: haeresis pietistarum practica, inquit, est fabula; B. JANUM Nostrum, H. P. in diss. de Nicolaitis vocantem, novam & indifferentistiam haereseos expositionem; D. ZELTNERUM denique, qui in quaest. Cur A. fidei fundam. non sint pressius definiti in S. Sc.? male viventes scribit p. 12. *αὐθαρῶς* haereticis connumerantur, nisi fundamento aliquo falsae hypotheseos nitantur.

Verum instituti & temporis rationem habentes, ejusmodi testimonia cum reliquis, huc quae spectant, in praefens facimus missa.

Wittenberg, Dies., 1725




f

30 Stk.

SB

W 18
W 18 bot 12





DISPUTATIO ACADEMICA
DE
DIFFERENTIA
ERRORVM
ET
VITIORVM

HAERESEOS
TORIBV

M. IOANNES

AMPLISSIMA

AVDITIO
DIE V. SEPT
PVBlice AD V

IOANNES C

PHILOS. ET S

VITEMBERGAE, LV

